IN OBITUM
VIRI
VENERABILIS & RELIGIOSISSIMI
THORCHILLI WIDALINI
ARNGRIMI F.
Sacerdotis Ecclesiæ Gard: & Besseſt: vigilantisſimi
LUGUBRIS ELEGIA,

Imprimatur,
C. BARTHOLIN.

per
Filium
JOHANNEM WIDALINUM.

In due ferales mecum mea muſa cupreſſus,
Inq; meos cantus ingenioſa veni.
Inſvetumq; meis carmen miſerabile cordis
Funde, ſona, forti non uſitata viro.
Non ego qvæ teneris Luſi male ſanus in annis
Ingenio nimiùm ſubſiliente peto.
Abſit ab hoc luctu qvicqvid mea muſa potenter
Per teretes cordas cultius ire dedit.
Diſplicet omnis amor, fugio qvoq; mentis ab uſu,
Vitaq; neſcio qvo non placet ipſa modo.
Siſte procul Lacrymis ſolitæ prælustria vitæ,
Siq; cupis ſalvum, da mihi flere ſatis.
Dicite Najades, & aqvoſi Heliconis alumnæ
Qvo mihi ſit tantus flumine flendus amor.
Tuq; Thetys, ſed tu qvanqvam Thetys ipſa timebis
Qvantula ſis Lacrymæ gutta futura meæ.
Imber edax fluido faciem mihi ſale peredit,
Et præceps oculis tempora flumen arat.
Non doluiſſe tamen videor, riſiſſe videmur,
Et læti in tanto turpiter eſſe malo.
Ut ſemel exaruit totus qvi corpore ab omni
In triſteis oculos ire ſolebat humor.
At te Melpomene fugimus, qvia nata dolori
Melpomene fertur, da mihi flere ſatis.
Indue ferales mecum mea Muſa cupreſſus,
Inq; meos planctus prodigioſa rue.
Accipe qvid doleam, noſtros ſimul indue caſus,
Et dubita qvid ſit parte carere ſui.

Defunctus vita longiq; laboribus ævi
THORCHELUS ARNGRIMI conditur in tumulo.
Heu mihi tarda nimis, nimiùm præmortua ceſſas,
In cantus aliàs officioſa meos.
Nam velut ægrotus repetitæ obmurmurat eſcæ,
Et faſtiditos rejicit ore cibos:
Sic mihi conſvetæ ſordent dictamina Lingvæ,
Nullaq; non tanto verba minora malo.
Qvid tibi chare Pater noctes, qvid cum prece multa
Exactæ totiens, innocuiq; dies?
Qvid genus avitum & claræ proſapia gentis?
Qvâ noſtra nulla eſt clarior in patria.
Qvid domus egregiæ cuſtodia, qvidve labores,
Inq; tuos nimium præcipitatus amor?
Qvid toties ægro deductus corpore langvor,
Et victæ varia dexteritate febres?
Qvid tandem virtus potuit, qva Sidera adibas
Qvaq; Deus Cælum juſſerat eſſe tuum?
Omnia funerea clauſit Scobs furvus in urna;
O! nimium noſtris Scobs inimice bonis.
Mene ſimul Lacrymas extremaq; verba bibiſſe
Et tanti ignarum delituiſſe mali.
Tene etiam ſeſe terram vetuiſſe recondi,
Et membris paſſi non puduiſſe tuis.
Omniparens tellus numqvid te parcere honori
Poſſe tuo dicam, Cum tua membra voras?
Sed qvid ego has Lacrymas ægro de pectore fundo?
Hunc bonitas Cæli, me mala terra tenet.

EPITAPHIUM.

Diſce, precor, qviſqvis WIDALINI triveris urnam,
Qvam non ſit priſca Lege ſolutus homo.
Cognitio veri, pietas, Induſtria, candor,
Omnia tam parvo pulvere tecta jacent.

HAFNIÆ, Literis JOHANNIS JACOBI BORNHEINRICHII.

Landsbókasafn Ísland